

R. D. Ant. Pure civilis N. talis, qui simul nunc sacramentum est, ut a nulla alia causa, quam solis contrahentibus separari a ratione sacramenti possit, C. et N. Cons.

Ad Conf. R. N. Ant. Hoc enim eo ipso fecit, quo contractum illum constitutum sacramenti esse voluit.

Si dicas: Constitutio impedimenti non tendit directe in aliquid sacri; sed solum in contractum qua civilem et politicum.

R. Esto, quod forte directe non tendat in aliquid sacri; tendit tamen in aliquid ad irritandum contractum sacrum, qui simul est sacramentum, nec subjacet jurisdictioni secularium, sed hæc potestas nulli secularium competit, et aliunde actus ex legibus ecclesiasticis validus indignationem et offensam judicis secularis non reformidat.

422. Obj. III. 1°. Potest princeps politicus disponere quoad dotem, arrham, donationem ad nuptias, successionem in hæreditate, aliosque effectus civiles; ergo etiam quoad ipsum contractum, quatenus civilis est. 2°. Potest princeps decernere pœnas iis, qui contra leges ab ipso latas contrahunt; ergo. 3°. Potest prohibere militibus, ne sine obtenta venia uxores ducant. 4°. Hanc potestatem circa matrimonium ut contractum civilem in principibus agnoscit S. THOMAS in 4. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 4. *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

Ad 1^{um}. R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quod priora, dos, arrha, et similia ex se quid mere seculare sint, et omnino accessorium, proinde dispositio de his non est in rei sacræ præjudicium; unde etiam quotidie intra Catholicam Ecclesiam coram seculari iudice illæ causæ aguntur: at contractus matrimonialis nec quid mere seculare, nec accessorium est, sed ipsum constituit sacramentum.

Ad 2^{um}. R. D. Ant. Si leges illæ principum, et pœnæ in transgressores statutæ, sint latæ ad promovendas vel adjuvandas leges ecclesiasticas, quæ vel prohibent, vel irritant quædam matrimonia C. si versentur circa matrimonia lege ecclesiastica approbata et valida N.

Ad 3^{um}. R. Non obstante tali prohibitione, ipsum matrimonium semper tamen erit validum. Deinde princeps his prohibet matrimonium ad exigentiam boni publici; proinde prohibitione sua urget præceptum naturale, quod prohibet privatis matrimonium, si est in boni communis præjudicium.

Ad 4^{um}. R. D. cum explic. In quantum est in officium communitatis, statuitur a jure civili in ordine ad effectus civiles, dotis, successionis, idoneitatis ad officia, et similibus: item si fiat cum subordinatione ad Ecclesiam C. secus N. Nam tale jus civile alias se solo insufficientes esse, idem Doctor Angelicus aperte tradit in 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4. ubi: *Dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesie auctoritas, quæ idem etiam interdicit.* Dicit etiam potest, S. Thomam locutum esse de matrimonio, prout contrahi potest indifferenter

vel a gentili, vel ab infideli, vel a fidei, et sic quolibet jure dirimi posse, in gentili quidem per jus naturæ; in infideli per jus naturæ et civile; in fidei per jus naturæ et ecclesiasticum.

ARTICULUS II.

AN DE FACTO IN GERMANIA, ALIISQUE PROVINCIIS SEPTENTRIONALIBUS LIGENTUR HETEROДОXI IMPEDIMENTIS MATRIMONII JURE SOLEM ECCLESIASTICO DIRIMENTIBUS, UT PROINDE INVALIDA CENSERI DEBEANT EORUM MATRIMONIA TALI CUM IMPEDIMENTO CONTRACTA?

423. Præsentem controversiam, quæ sane momenti maximi est, et usus in provinciis septentrionalibus frequentissimi, neminem pertractare ausum fuisse ante P. Lessium e Societate comperimus: quem postea secuti Doctores inter se admodum discordes, de ea multa varietate sentiunt, et loquuntur. Et quidem conjugia ejusmodi valore omnino destitui cum Lessio, Busebaum et aliis late defendit P. Gobat Exper. Tr. 9. et Append. 13. tametsi sententiam oppositam asserat in praxi tutam. Pro valore e contra conjugiorum illorum stant Petrus Marchant., Henric. Mair, et hoc teste, Simon Felix moralis scientiæ Doctor eximius. Favent etiam non obscure Tanner tom. 4. Disp. 8. q. 3., Laym. Lib. 5. Tr. 10. p. 2. c. 4. alique, dum valida esse docent conjugia ab hæreticis, absente loci parochæ catholico, contracta. Aperte vero connubiorum eorum valorem propugnant Schmalzgr., Pichler, van Espen, alique recentiores præsertim Canonistæ hodie communius, maxime quoad impedimentum clandestinitatis, quos refert Pichl. Tit. 1. de Matrim. n. 98. Nos, donec Ecclesia quid aliud statuat, interim ita cum posterioris sententiæ patronis resolvimus:

424. Dico. Probabilius est, in Germania nostra aliisque provinciis septentrionalibus de facto non ligari heterodoxos impedimentis matrimonii dirimentibus, jure tantum ecclesiastico statutis; proinde valida censenda esse eorum connubia tali cum impedimento contracta.

Dixi 1°. de facto: i. e. nunc temporis, quo ipsis vel præscriptio et consuetudo legibus Ecclesiæ connubialibus contraria, vel conniventia Ecclesiæ favet probabilius; alias enim hæreticos quoscumque legibus quibuscumque Ecclesiæ, tam connubialibus, quam aliis ligari per se, ante præscriptionem, ac consuetudinem contrariam, aut conniventiam Ecclesiæ, certum supponimus; utpote qui per baptismum ingressi Ecclesiam, hujus hoc ipso esse subditi, et jurisdictioni subesse cœperunt. Can. 5. D. 43.

Dixi: 2°. dirimentibus jure tantum ecclesiastico; pariter enim certum est, hæreticos æque ac Catholicos perpetuo ligatos teneri impedimentis, quæ naturalis, aut divini juris clari sunt, cum contra utrumque nulla unquam prævalere possit consuetudo; assuefactio enim ad res malas, aut a potestate superiore, quam sit humana, prohibitas, corruptela est potius, quam vera consuetudo.

Prob. I. Non videtur credibile, quod Ecclesia velit urgere leges suas contra heterodoxos quoad impedimenta matrimonii; ergo probabilius iis de facto non ligantur. Prob. Ant. Non est credibile, quod Ecclesia velit urgere

leges, quarum observantiam sperare non potest, cum alioquin aperte in destructionem tenderent, et leges hoc ipso essent irrationabiles; aut quod velit urgere leges, si sit prope certum moraliter, nihil fructus, vel certe parum, e contra damni spiritualis plurimum inde nasciturum; lex enim communitati debet esse utilis, quod vel maxime in suis legibus intendit Ecclesia. *Subs.* Atqui Ecclesia non potest moraliter sperare legum istarum connubialium observantiam inter heterodoxos; cum, exceptis forte doctioribus, eas ignorent communiter, vel certe se iis non adstringi autument; et proinde, si urgeret, plurimum inde damni nasceretur; cum matrimonia eorum contracta cum impedimento juris ecclesiastici essent meri fornicarii concubitus, proles illegitimæ; nec parum averterentur eorum animi a fide catholica, si proles suas haberi illegitimas et spurias cernerent. Adde, dari sic occasionem luxuriosis deserendi contracta matrimonia, novaque ritu catholico contrahendi, et hæc, ut merito notat P. Pichler, sine ullo fructu. Ergo non videtur Ecclesia urgere de facto leges suas contra heterodoxos quoad dicta impedimenta; sed connivet permittendo, nec irritando eorum matrimonia tali cum impedimento contracta. Et merito; cum S. AUGUSTIN. epist. 50. (al. 185.) moneat, *detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat*; tum S. LEO epist. ad Rusticum Narbon. relatus can. fin. dist. 14. *multa esse, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperari.* Unde et can. Denique dist. 4. dicitur: *Qui a prava consuetudine, contra jus humanum, averti non possunt, aliquando cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si a tali consuetudine prohibeantur.* Ac COELESTINUS III. cap. *Quod dilectio*, de consanguin. cum intellexisset, in quadam provincia homines in sexto gradu per lineam descendentem ab eodem stipite (qui jure antiquo dirimebat adhuc matrimonium) jungi, matrimonia sic contracta rata habuit; secus illa, si unus in gradu sexto vel septimo, alter secundo vel tertio gradu per lineam descendentem distaret ab eodem stipite, eo quod ita pariter ferret terræ illius consuetudo, hæcque notatu digna subdit: *in hac parte consultius duximus, multitudini et observatæ consuetudini defendendum, quam aliud in dissensionem et scandalum statuendum.* Apposite hæc præsentis controversiæ applicantur. Atque hujus moderationis æquitatem, si secus nihil boni, contra plurimum mali nasciturum prævideatur, ipsa suadet naturalis ratio; ut enim vere scribebat Sallustius: *frustra niti, et nihil aliud quam odium quærere dementia est.*

Prob. II. Potest per consuetudinem derogari legibus Ecclesiæ connubialibus quoad vim irritandi matrimonia, positis conditionibus ad legitimam consuetudinem requisitis; et per consuetudinem contrariam hæretici jam derogarunt connubialibus Ecclesiæ legibus, hæcque consuetudo habet conditiones omnes ad legitimam consuetudinem requisitas; ergo.

Prob. 1^a. p. Ant. Nam universaliter ex c. fin. h. t. datur ea vis consuetudini, ut per eam abrogari possint leges ecclesiasticæ, si illa sit rationi consona, et legitime præscripta, h. e. conditiones requisitas habeat; sed consuetudo, de qua loquimur, potest esse rationalis, et habere conditiones requisitas; nam ex regula generali communiter recepta a Doctoribus eadem causæ et circumstantiæ, quæ rationabilem possunt facere legem ecclesiasticam, etiam possunt rationabilem facere consuetudinem; ergo, si per leges

ecclesiasticas tolli, ac restringi possint impedimenta jure ecclesiastico inducta aliquando, ut videre est in impedimento consanguinitatis et affinitatis, quod jure antiquo extendebatur ad septimum, nunc ad quartum duntaxat gradum c. *Non debet* 8. de consanguin.; item in impedimento publicæ honestatis, quod ante Trid. se extendebat ad gradum quartum, et oriebatur etiam ex sponsalibus de futuro invalidis, nunc post decretum Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform. Matrim. ex validis tantum oritur, et primo tantum gradu concluditur; non apparet, cur idem non possit consuetudo legitima.

Nec obstat c. *Quod super*. 5. de cons. quo reprobari videtur consuetudo talis; nam intelligi hoc debet de consuetudine non præscripta legitime; sic enim et de omni consuetudine contra jus ecclesiasticum dicitur c. 7. h. t. quod *non tam consuetudo, quam corruptela sit censenda, quæ sacris est canonibus inimica*; sed hæc et similia dicta intelligenda esse de consuetudine debitis conditionibus destituta, non legitime præscripta vel irrationabili, communis est interpretatio, nec latet etiam tyrones juris; id enim satis clare exprimit c. fin. h. t. ubi: *licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare; nisi fuerit rationalis et legitime præscripta.* Unde *Maj.* nobiscum admittunt auctores communius, Sanch. Lib. 7. de Matrim. Disp. 4. ab eoque cit. plurimi; quibus addi possunt Gonzal., Sylv., Palud. alique recentiores; quin ab adversariorum quibusdam admittitur ut tota prope controversia quoad 2^{am}. p. sit.

Prob. 2^a. p. Nam 1^o. habetur et *frequentia actuum*, et *diuturnitas temporis*, ut per se patet, cum constet ab ipso religionis acatholicæ initio legum Ecclesiæ connubialium plurimum non usum, sive usum illis contrarium apud Protestantes fuisse; inita ab iis fuisse conjugia passim sine nullitatis existimatione, hodieque ita celebrari.

2^o. Nec deest *legislatoris consensus*, sive *Pontificis*. Nam is universaliter vim dedit consuetudini c. fin. h. t. cit. abrogandi leges ecclesiasticas; igitur si non constet de contraria voluntate legislatoris Pontificis, etiam vis illa consuetudinis se ad nostrum casum extendet; proinde habebitur legislatoris consensus saltem *legalis*: atqui de voluntate contraria non constat; imo habetur consensus ejusdem *personalis tacitus*, cum conjugia ejusmodi celebrarunt sciente Pontifice, nec tamen, licet posset, contradicente, sed dissimulante, ac tacente.

3^o. Nec deest *rationalitas*; ut enim vis legum irritantium conjugia hujusmodi post continuatum tanto tempore non usum earum, vel usum iis contrarium cessaret, omnino expediens fuit; tum quia sperari non potest illarum legum observantia; tum ut evitentur fornicationes et concubinatus; tum quia legum illarum cessatio plurimum confert ad tranquillitatem publicam, faciliorem Protestantium reductionem, etc. ut dictum *prob. 1.* Sicut igitur provincia aliqua catholica jejunium ab Ecclesia præceptum longissimo tempore non observante, id servandi obligationem tolli, non est a ratione alienum, sed expediens, ne leges, quarum observantia post continuatum tanto tempore non usum sperari non potest, incipiant esse noxiæ, damno ac ruinæ spirituali; ita in provinciis septentrionalibus continuato non usu aliquarum legum ecclesiasticarum nuptias irritantium, illarum vim, ex iisque provenientem conjugiorum nullitatem

cessare prorsus expedit, quod legum istarum observantia sperari non possit, ac proinde moraliter impossibilis censenda sit.

Conf. 1. Plurimi ex adversariis admittunt, imo communior est sententia in Germania, quam et confirmat praxis, dum parochi et Episcopi non sunt solliciti de revalidandis talium matrimoniis, vel legitimandis prolibus, si convertantur ad fidem, valere clandestina Protestantium matrimonia, etiam nunc in terris, in quibus aliquando promulgata fuit lex Tridentini illa matrimonia irritantis, scilicet propter allatas a nobis rationes, oppositam consuetudinem, conniventiam Ecclesiae, etc. ergo idem merito dicitur de matrimoniis contractis cum aliis impedimentis jure ecclesiastico statutis, ut publicae honestatis, consanguinitatis, etc. vel dicant adversarii, quare generalia illa juris principia praecise et tantum faveant matrimoniis Protestantium clandestine contractis, ita ut valida haberi debeant, non vero contractis cum impedimento alio juris ecclesiastici?

Conf. 2. Pleraque rationes, quae moverunt BENEDICTUM XIV. ut declararet valida matrimonia, in foederati Belgii provinciis contra formam a Conc. Tridentino praescriptam contracta, etiam huc faciunt; ergo. *Prob. Ant.* Illae enim maxime petebantur vel ex diuturna consuetudine contraria, juncta Ecclesiae conniventia ad praevenda graviora mala; vel inde, quod, ut in sua relatione ad summum Pontificem discurrebat inter alia eruditus Bozzi Abbas S. Crucis in Jerus. praesumi non possit de Tridentino, quod hisce legibus suis eas volnerit constringere provincias, quae essent lapsurae in haeresin penitus, ut leges illae ad nihil valiturae essent, quam causanda damna, quandoquidem ex hac ipsa causa, ut mala gravissima futura praeverteret, hanc legem suam non censuit promulgandam in Anglia, Saxonia, quod ibi jam haeresis sedem fixisset; vel inde tertio, quod, ut contendeat Giullii e Societate nostra, cujus ea in re mentem peculiariter exigebat idem summus Pontifex, occupatis illis provinciis ab Haereticis, sibi nunc pleno jure subjectis, novaque inducta forma legum et regiminis, etc. prior respublica regi Hispaniae parens interiisse, ac nova prorsus fuisse condita censi debeat, in qua Tridentini lex promulgata dici non possit, licet olim in iis provinciis regi Catholico adhuc subjectis promulgata fuerit.

Atqui eadem rationes huc faciunt; primo quidem *prior*, ut hactenus ostensum. Sed et *altera*; cur enim haec epikeia, vel argumentatio praecise in lege Tridentini, et non alia mere ecclesiastica valeat, cum utraque mere positiva humana sit? Similiter *tertia*; nam et imprimis Imperium nostrum maximam sane mutationem subiit per pacem Westphalicam, qua protestanticae religioni tolerantia et libertas asserta; suspensa Episcoporum in subditos statuum protestantium acatholicos jurisdictio, ut urgere apud illos legem Ecclesiae non possint; imo hi si vellent se subdere, prohibeantur poena et metu, jure an facto, hic non disputo; perinde est, licet, quod dolentes ultro et palam profiteamur, religioni catholicae pax ea perquam funesta et inimica sit, ei tamen ut subscriberent, catholicos status dira et extrema necessitas compulit, ne tota pessumdaretur catholica religio. Sed et in provinciis aliis Imperio non subjectis, ob latas summe contrarias avitae religioni leges non multum absimilem mutationem status comperire est.

425. *Obj. 1.* Omnes haeretici hoc ipso, quod per baptismum ingressi sint Ecclesiam, hujus jurisdictioni subsunt, et omnibus ligantur legibus; ergo conjugia eorum contra legem irritantem Ecclesiae inita, aequae sunt invalida, quam si ineantur a Catholicis.

R. D. Maj. Ligantur omnibus Ecclesiae legibus, *per se*, scilicet, quibus per contrariam consuetudinem non derogarunt, vel quibus eos ligare semper Ecclesia intendit *C. per accidens*, quando eas contraria consuetudine abrogarunt, vel quas Ecclesia in iis non urget *N. Ant. et Cons.* quia legibus illis irritantibus derogarunt consuetudine contraria; nec eas in haereticis de facto urget Ecclesia: secus est de Catholicis.

426. *Inst. 1.* Consuetudini huic, quae praetenditur, deest consensus Pontificis; ergo haec contra leges ecclesiasticas prevalere non potest. *Prob. Ant.* quia non potest prudenter praesumi de S. Pontifice, quod illis tanquam subditis rebellibus favere voluerit, eos velut in praemium rebellionis eximendo a suis legibus. *Conf. 1.* Haeretici potius poena digni sunt, quam tali favore et exemptione ob potestatis ecclesiasticae, et legum hujus contemptum et violationem. *Conf. 2.* Princeps secularis non praesumitur eximere a legibus suis rebelles subditos; ergo nec Ecclesia heterodoxos pertinaces.

R. N. Ant. constat ex supradictis. *Ad prob. N. Ant.* Nec ideo dici potest S. Pontifex velut praemiari rebellionem haereticorum; sed justis de causis supra recensitis connivet, ac dissimulat permittendo, et non irritando talia matrimonia, tanquam legislator prudens, ne legibus suis, quarum observantiam hic et nunc sperare non potest, quae proinde censenda est moraliter impossibilis, damnum inferat sine ullo sperato fructu.

Ad Conf. 1^{am}. *R. D.* Potius poena digni sunt, si praecise spectetur illorum perveracia, et inobedientia in Christi Vicarium *C.* si spectentur circumstantiae aliae *N.* Nam 1^o. licet haeretici ex se potius poenam mereantur quam favorem hunc, commiseratione tamen digni sunt, quod magna ex parte ignorant se legibus Ecclesiae subjectos esse, plerique vero has ipsas irritantes leges nesciant, propter quos toti communitati indulgeri aliquid prudenter potest. 2^o. Licet haeretici *formales* indigni sint ista Ecclesiae indulgentia; hanc tamen poscunt et merentur spes promptioris conversionis, tranquillitas publica, evitatio concubinatum et incestuum certo secutorum, cum legum istarum observantia sperari non possit, etc.

Ad Conf. 2^{am}. *R. 1^o.* Etiam prudentis principis est indulgere quid immorigeris subditis, si inde spes sit majoris boni, eos facilius reducendi; si inde mala alia evitentur. 2^o. Disparitas est: Princeps secularis potius vindicare injurias, quam prodesse rebellibus intendit: at pie Matris Ecclesiae genius est, etiam in contumaces filios materna viscera extendere; eorum procurare bonum, non habita ratione injuriarum; unde prudenter creditur non urgere leges, quae in damnum eorum tenderent sine spe ullius fructus.

427. *Inst. 2.* Ut consuetudo legi alicui deroget, debet tam ipsa, quam mores utentium contrarii esse rationabiles: sed tales non sunt, quibus scienter contravenitur legibus ecclesiasticis. *Conf.* Haec consuetudo est malitiose introducta ab heterodoxis in contemptum potestatis Pontificiae; ergo est juri

naturali et divino contraria, quo jubemur parere auctoritati legitimæ; ergo irrationabilis.

R. N. Rationabilitatem consuetudinis desumi necessario debere ex actibus contrariis, quibus inducitur, cum hi etiam possint esse peccaminosi; sed circumstantiæ aliæ consuetudinem possunt facere rationabilem, ut conducentia ad bonum publicum, etc. Quæ vero rationabilem faciant hanc, de qua loquimur, consuetudinem, dictum est supra.

Ad Conf. R. D. 1^{am}. Cons. Est juri naturali et divino immediate contraria N. mediate C. Sic omnis violatio legum humanarum, per quam læditur semper obedientia legitimæ auctoritati debita juri naturali et divino præcepta, est mediate utrique huic juri contraria; hæc tamen mediata violatio juris naturalis et divini non facit irrationabilem consuetudinem legi humanæ immediate contrariam; alioquin nulla lex humana abrogari posset consuetudine contraria. Unde et N. 2^{am}. Cons.

428. Obj. II. S. Congregatio Card. Trid. Interp. rescripsit anno 1605. 19. Jan. episcopo Tricariensi apud Belgas legato: *Hæreticos quoque, ubi decretum Tridentini est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla et irrita esse.* Item, teste P. Reiffenstuel, ead. S. Congregatio anno 1676. 2. Maii. sic declarasse dicitur: *Catholicum cum hæretico Matrimonium coram Magistratu seculari in loco, ubi Concilium Tridentinum est receptum, et Parochus commode haberi et adiri poterat, contraxit, et postea consummavit. S. Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, secundum ea, quæ proponuntur, censuit, dictum Matrimonium fuisse nullum.* Similes declarationes plures referunt alii. Unde sic arguitur: Hic declarantur nulla esse matrimonia hæreticorum contra formam a Trid. præscriptam, sive clandestine contracta: atqui nulla est ratio, cur potius irrita sint hæreticorum conjugia contra Decretum Trid. contracta, quam cum aliis impedimentis juris ecclesiastici; ergo.

Conf. BENEDICTUS XIV. valida declaravit matrimonia Protestantium in provinciis Belgii confœderatis, contra formam Trid. item indulsit Catholicis in provinciis Belgii confœderatis, sive reipublicæ Hollandiæ; etiam in civitatibus, in quibus respublica Hollandiæ præsidium habet militare, vulgo *Barrière*, ac si extra ea loca degant in castris sub stipendiis dictæ reipublicæ, ut valide contrahant, non observata ea forma a Trid. statuta: atqui exceptio firmat regulam in oppositum; ergo. Ante resp.

429. *Observandum* ex nostro Giulii, duplex ab auctoribus *declarationum* Sacræ Congregationis distingui genus. Aliæ Tridentini mentem *generatim*, vel in abstracto, ut aiunt, exponunt; aliæ quid in hoc, vel isto peculiari casu faciendum sit, decernunt. Priores in legum numero habendæ sunt; cum enim summi Pontificis auctoritate muniantur per constitutionem SIXTI V. *Immensa*, Sacræ Congregationi commissa, sunt interpretationes authenticæ, quæ Concilii decretis inhærere dicuntur, non secus ac si ab initio iisdem adjunctæ fuerint, ut fere in simili dixit Imp. in §. fin. auth. de raptis mulierib. docetque Fagnan. in c. *Quoniam* de Constit. Posteriores

vero, magnæ alias auctoritatis, judicialis instar sententiæ sunt, quæ jus constituit in ea quæstione sola, de qua profertur; vim autem legis habere, præterquam quod promulgari non soleant, nec proferri illa solemnitate, qua priores, plerique negant, Laymann Lib. 1. Tract. 4. cap. 7., Bonacina de Legib. Disp. 1. quæst. 1. punct. 8., Bossius Tract. de tripl. privil. Sect. 3. Cas. 2. aliique communiter. Hinc porro fit, ut *generales* illæ declarationes non soleant fieri, nisi consulto et approbante summo Pontifice, et rebus quam diligentissime expensis, cum de particularibus factis tanta saltem circumspectione et cautione decidi non soleat, quia, ut ait D. Thomas p. 2. q. 95. a. 1. ad 2. *illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed judicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis.* His prænotatis facilis est responsio, nam

R. 1^o. Quantum ad 1^{am}. *declar.* attinet, equidem illa *generatim* Tridentini mentem exponit, cum hæreticos universim in Belgii fœderati provinciis includat; de facto tamen robur nullum habet, etiam in ipsis fœderati Belgii provinciis; præterquam enim quod nihilominus BENEDICTUS XIV. valida declaravit matrimonia tum quæ hæretici inter se, tum cum Catholicis etiam in locis *Barrière*, h. e. in quibus respublica præsidium militare habet, itemque in ejus legionibus alibi degentibus contrahunt; per usum contrarium per tot annos usque nunc, perque mutatam rerum formam abrogata ac penitus antiquata fuit. Etenim cum illa emanaret, regi Catholico subjectæ erant provinciæ, dominabatur religio Catholica, nec dabatur Novatoribus liberum suæ sectæ exercitium, expulsis hæreticorum ministris, ac proinde Tridentini lex post ejus ante factam promulgationem merito urgebat Sacra Congregatio. At postquam liberam in rempublicam evaserunt, ac pace Monasterii constituta anno 1648. sancitum, ut matrimonia in Belgio fœderato contra Tridentini legem celebrata rata haberentur etiam in Belgio Hispanico, ab eo usque nunc tempore usu contrario abrogata fuit. Neque unquam postea Sacra Congregatio sive Sedes Apostolica, licet sæpius interrogata, quidquam *generatim* statuere voluit, aut declarare irrita ejusmodi matrimonia, ut patet in illa Hollandiæ anno 1681. et in alia Boscoducensi anno 1683. cit. apud Giulii. Quin CLEMENS XI. a Nuntio Coloniensi consultus, quid de matrimoniis in fœderato Belgio contra Tridentini formulam contractis sentiendum esset, S. Officii cardinalibus ad deliberationem adhibitis die 19. Novembr. 1711. per Sacram Congreg. de propaganda responderi jussit: *gravibus quidem de causis nihil adhuc de illis generatim et universim statuendum aestimatum fuisse.* Qua vero fieri ratione potuit, ut negaret Pontifex aliquid de illis *generatim et universim* statuendum, si quod generatim et universim sub CLEMENTE VIII. ad episcopum Tricariensem apud Belgas Legatum adhuc ad nostram ætatem pertinere censuisset? Antiquatum igitur censeri debet, vel ipso Clementis XI. oraculo, quod sub Clemente VIII. Sacra Congregatio anno 1605. decreverat. Pro imperio vero aliisve terris nulla unquam emanavit declaratio, qua Sacra Congregatio, vel Sedes Apostolica generatim irritasset talia matrimonia; nulla enim hactenus proferrî potuit. Et vero eadem plane rationes pro Imperio sunt, aliisque regnis, quæ erant pro fœderato Belgio; æque enim parum in terris statuum protestantium Imperii aliisque regnis catholicis proficiet talis declaratio, quam in Belgio, eademque, si emanaret, sequerentur incommoda,

R. 2^o. *Quoad alias*. Illæ solum responsa sunt a Sacra Congreg. pro casibus particularibus data, quæ juxta allegata procedunt, vel supposita oratorum expositione, quod Concilii decretum sit usu receptum, locus subsil principii catholico urgenti observantiam Tridentini præcepti, ut de secunda declaratione ait P. Pichler; quæ quidem expresse loquitur de catholico, qui contraxit cum acatholica in loco, *ubi commode haberi et adiri poterat parochus*, quo casu plures etiam nostræ alias addicti sententiæ auctores requirunt præsentiam parochi. Nunquam vero generatim factæ fuerunt in hypothese consuetudinis in contrarium, dubiæ promulgationis decreti Tridentini, et similium ex dictis.

Ad Conf. N. hic exceptionem fieri a BENEDICTO XIV. sed quærentibus Episcopis de valore talis matrimonii, respondit simpliciter, valere illud; quod responsum proinde exceptio a regula dici non potest.

430. *Obj. III. 1^o*. Silentium S. Pontificis ad illa Protestantium matrimonia est tantum mera tolerantia et dissimulatio, cum impediri non possint; ergo illa non approbat tacite. 2^o. Si, ex allatis rationibus, hæretici de facto non ligentur legibus connubialibus Ecclesiæ; ergo nec legibus jejunii, festorum, et similibus; ergo et exempti erunt ab omni obedientia præstanda Ecclesiæ, quia huic constanter contraveniunt. 3^o. Sic hæretici essent melioris conditionis, quam Catholici; haberentque ex delicto suo commodum, quod prudenter nequit velle Ecclesia. 4^o. Hoc modo valida fieri possent matrimonia, quæ ineuntur a sacerdotibus et religiosis apostatis; quia votum solemne est impedimentum dirimens jure tantum ecclesiastico.

Ad 1^{um}. N. Assert. Quando enim res concernit provincias integras, nec repugnat juri naturali aut divino, nec solet nec potest ab Ecclesia præcise tolerari, sed rata haberi debet, ne ex negato consensu alias gravissima sequantur mala sine ullius fructus spe; hæc vero certo post se trahet lex, quam, cum observantia ejus sperari non possit, nihilominus legislator urgere vellet.

Ad 2^{um}. R. Primam sequelam facile concedunt Vericelli de Apost. Mission. Tit. 3. q. 87., Pichler ad Tit. de Sponsal. et Matrim., Wiestner ad eumd., Schmalzgr. alique tum Theologi tum Canonistæ. *Secundam N.* cum omnibus; sicut enim non sequitur: potest provincia aliqua catholica per continuatum non usum longo tempore, sive usum contrarium derogare quibusdam legibus Ecclesiæ; ergo poterit sic derogare omnibus legibus ecclesiasticis, et obedientiæ debitæ; ita nec tenet illatio prior. Nimirum ratio est; quia derogari posse legibus ecclesiasticis per consuetudinem contrariam, si conditiones requisitas habeat, fatentur omnes, et positive jus ipsum ecclesiasticum asserit c. fin. de consuet. cit. at derogari posse similiter ipsi obedientiæ debitæ, negant omnes: negat jus, tali præscriptioni positive resistens c. *Cum non liceat*. 12. de præscr. item 16. Nec permittit ratio, ullius consuetudinis, vel præscriptionis vi subditos ab obedientia eximi, ne sublatis penitus legibus omnis disciplina evanescat, et respublica subvertatur; unde consuetudo talis nunquam potest fieri rationabilis. Accedit specialiter, quod Ecclesia ab ipso Christo hanc potestatem in eos acceperit. Matth. 16. 18. adeoque hæc nec ab ipsa Ecclesia abdicari possit.

Ad 3^{um}. R. D. Essent melioris conditionis absolute et per se *N.* non enim

absolute melioris conditionis dicitur, qui honestis et utilibus se legibus subtrahit. Essent per accidens; et sic per accidens ex delicto haberent commodum *C.* Hoc vero sæpius, etiam in Catholicis evenit, ut per accidens ex delicto commodum sentiant, dum malitiose legem non recipiunt, vel per consuetudinem contrariam, actibus etiam peccaminosis, dum consuetudo est *in fieri*, abrogant. Unde nec dici potest, Pontificem hoc casu plus favere Novatoribus, quam Catholicis, permittendo priorum matrimonia contra leges connubiales Ecclesiæ, et non irritando; hoc enim non ex favore in illos facit Pontifex, sed ad evitanda graviora mala. Sic provincia aliqua catholica per consuetudinem contrariam abrogante legem ecclesiasticam, S. Pontifex non ideo huic plus favere dicitur, quam aliis provinciis.

Ad 4^{um}. R. Non est paritas; quia his matrimoniis semper se positive opponit Ecclesia: separat, si ad gremium Ecclesiæ redeant, eos ab uxorum commercio; hisque, si redire, vel transire ipsæ ad Ecclesiam catholicam velint, nova permittit conjugia. Deinde non potest præsumi, consentire Ecclesiam in matrimonium sacrilege contrahendum; præcisa enim omni lege ecclesiastica, adhuc est jure naturali et divino saltem illicitum cum voto tali inire matrimonium.

ARTICULUS III.

QUOT ET QUÆ SINT IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA MATRIMONII?

431. Ex impedimentis matrimonii alia esse *impedientia*, h. e. quæ prohibent tantum matrimonium contrahendum, quin tamen contractum propterea invalidant; alia esse *dirimentia*, h. e. quæ matrimonium et prohibent, et invalidant, jam supra innuimus initio hujusce capituli. De utrisque nunc in specie breviter agendum; ac primo quidem hoc art. de prioribus.

432. *Dico.* De *jure novo* quatuor tantum sunt impedimenta impedientia, hoc expressa versiculo: *Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.* Quorum hæc est expositio.

I. Sacratum tempus, quod etiam *feriatum* dicitur: videlicet illud, quo celebrare *solemnnes* nuptias prohibuit Ecclesia. Fluit hoc tempus juxta decretum Trid. Sess. 24. c. 10. de Ref. Matrim. ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, et a die Cinerum usque ad octavam Paschatis, sive Dominicam in albis inclusive. Dixi: *solemnnes*; non enim pro his temporibus Ecclesia absolute prohibet contrahere matrimonium, sed duntaxat cum solemnitatibus; quales sunt, sollemnis nuptiarum benedictio, publica ac strepitosa sponsæ deductio, etc. ut liquet tum ex textu Trid. tum ex declaratione Card. Concilii interpretum atque ex Rituali Romano. De consuetudine tamen, ac lege particulari variarum diocesium, nec simpliciter licet inire matrimonium citra Episcopi licentiam.

II. Vetitum Ecclesiæ, sive interdictum: est prohibitio facta a Superiore nupturientibus ad certum tempus ex causa justa, ut, donec inquiretur an impedimentum, quod objicitur, existat; vel aliis de causis.

III. Sponsalia, scilicet valida de futuro, contracta jam cum parte una,